



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn


## Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Cap. I. De statu religiosi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**



## LIBER IV.

*De Præceptis particularibus certo hominum statui propriis.*

CUM omnes fideles sicut præcepta Decalogi, ita etiam alia præcepta, quæ pertinent ad statum, & officium uniuscuiusque, teneantur scire sub peccato mortali, ita ut ipsa eorum ignorantia vincibi is, (licet non sequatur transgressio) sit peccatum mortale: *Sylv. Savr. Sanch. Bald. t. 2. l. 1. d. 9. n. 8. & 9.* hinc post præcepta omnibus communia, agendum de præceptis propriis certorum statuum in particulari.

## CAP. I.

*De Statu Religioso.*

## DUBIUM I.

*Quæ sit natura Status Religiosi?*

RESP. Status Religionis est fidelium, ad divinæ charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ paupertatis, castitatis, & obedientiæ, stabilis in communi vivendi modus, ab Ecclesia approbatus.

Dico,

Dico, *ab Ecclesia*: etsi olim Episcopi Religiones approbare poterant: postea tamen in Concilio Lateranensi, sub Innocentio III. statutum est, ne nova religio inducatur, nisi approbata à Papa. Ratio est, quia cum religio sit communitas sacra, in qua debet esse spiritualis jurisdictio, hæc autem à Papa proveniat, decens est, ut talis communitas ab eodem approbetur. *Laym. l. 4. c. 5. c. 1.* Unde resolvuntur hi Casus.

I. Ad essentiam religionis non requiruntur vota solemnia. Ratio, quia qui in Societate Iesu vota simplicia edunt sunt veri religiosi, uti definit Gregorius XIII. in bulla *Ascendente Domino*. *Laym. l. c. n. 4.*

II. Non sunt religiosi, ii ordines militares, qui conjugalem castitatem tantum vovent. Sunt tamen verè religiosi, milites S. Ioannis, & Teutonici, eorumque similes, cum tria vota substantialia habeant. Similiter ex fratribus, & sororibus tertiariis, sive Ordinis S. Francisci, sive aliorum, tantum sunt religiosi, qui in religione approbata, secundum certam regulam, tria vota substantialia emittunt. Contra autem ii non sunt, qui licet tria ista emittant, & communiter vel seorsim habitant, regulam tamen à Sede Apostolica approbatam non profitentur, *Laym. l. c.*

III. Religiosi non sunt, qui edito voto perpetuæ paupertatis & castitatis, obedientiam vovent Confessario, aut Episcopo. Ratio, quia tali voto non subiiciuntur jurisdictioni spirituali, quæ à Deo, medio eius vicario, provenire debet. *Ibid.*

*num. 7.*

VI Etsi

IV. Etsi Papa in votis solemnibus religionis dispensare possit, ut quis desinat esse religiosus; non potest dispensare tamen, ut quis manens religiosus, substantialibus votis non teneatur: quia ad essentiam religionis illa spectant. *Laym. l. c. n. 8. ex Nav. & c.*

V. Religiosus promotus ad Cardinalatum, vel Episcopatum, obstrictus manet votis essentialibus suæ religionis: etsi quoad aliquos effectus paupertatis & obedientiæ, exemptus censeatur. Deinde, etsi iugo regulæ absolutus sit, quoad culpam vel pœnam; tamen ex obligatione moralis honestatis, ex ea servare debet, quæ eum decent, & cum eius munere consistunt. Hinc quoad habitum, sui ordinis colorem deferre debet; etsi quoad figuram Episcopis secularibus se conformare possit, ut Clemens VIII. concessit apud *Sancti. 6. mor. c. 6.* Imò, si Episcopatum resignet, vel ob culpam deponatur, absque degradatione; tamen non tenetur ad regularem observantiam redire: quia recinet eminentiam Episcopalem, ob quam obedientia regulari exemptus fuit. *Ibid. ex S. Tho. Rodiq. Sancti. & c.* Secus est in cardinali religioso, qui non est Episcopus; hic enim relicto Cardinalatu, nihil retinet ex dignitate Cardinalitia; ideoque si Papa eius renunciationem acceptarit, tenetur redire ad obedientiam regularem sui ordinis. *Palauus, de Lugo Resp. moral. l. 5. d. 12.*

VI. Religiosus ad Parochiam promotus, cum votis astrictus maneat, tenetur deferre habitum religionis, regulamque observare in omnibus, quæ

quæ cum suo munere consistere possunt. Idque non tantum secundum moralem honestatem, sed sub obligatione gravis culpæ, si ad eam regula obliget. Ita Laym. l. 4. t. 5. c. 1. n. 11. & 12. Ubi addit, quod etsi Parochus religiosus in iis, quæ ad regulam spectant, subiectus maneat superiori, jam tamen consuetudine multis locis observari, ut non tantum in pertinentibus ad disciplinam Ecclesiasticam, sed etiam in plerisque aliis, ab obedientia Prælati eximatur, & Episcopo subijciatur. v. Sylv. Sanch. l. 6. mor. c. 6. n. 36.

## DUBIUM II.

*Quæ requirantur ad valorem professionis religiosæ?*

Resp. Ad valorem eius, tres requiruntur conditiones. I. Est qualitas, seu aptitudo voventis, scilicet, ut juxta Trid. sess. 35. c. 15. de Regularibus, decimum sextum ætatis annum expleverit, annumque integrum, cum religioso habitu, steterit in probatione, nullumque habeat impedimentum, quod per statuta à Pontifice confirmata, in isto ordine substantiale esse censeatur. Azor. tom. 1. l. 12. c. 2. q. 6. & 7. Rodriz. tom. 2. c. 6.

II. Conditio, Consensus & acceptatio expressa, vel tacita Prælati ordinis: per hanc enim religioni incorporari debet. Idque ordinari, non tantum cum consilio, sed etiam cum consensu Capituli, aut certe majoris, aut principalioris partis;

partis; secundum cuiuscunque ordinis statura,  
*Navar. Less. c. 41. d. 7.*

III Ut professio sponte facta sit, non cogente gravi metu, qualis esset incarcerationio, alimentorum subtractio, eo quod in professionem consentire noluerit. Itemque metus reverentialis, non quidem se solo, se accedente precum, blanditiarum, & imperii, sæpius repetita importunitate, aut gravi offensione, aut diu continuata indignatione consanguineorum; adjunctis etiam minis de subsidiis negandis, si ex religione egrediatur: hæc enim vel singula, vel certè simul juncta, considerata conditione hominis rudis, timidi, &c. metum justum incutere possunt, & professionem irritare, ut docet *Laym. cum aliis lib. 4. tract. 5. cap. 5. Less. lib. 2. cap. 43. dub. 7.* Unde resolventur sequentes Casus.

I. Is qui professionem irritam edidit, ex defectu alicuius conditionis ex jam dictis, nisi eam postmodum tacitè, vel expressè ratificaverit, egredi, religione, & uxorem ducere potest: licet ob evitacionem scandali, causam egressus dicere debeat: & si ad forum externum causa deveniat, defectum professionis probare; idque intra quinquennium à die professionis, post illud enim non auditur juxta *Trident. cap. 19. sess. eadem.* quia præsumitur eam interea ratificasse.

II. Quod si tamen sciret, illam iuris præsumptionem falsam esse, eo quod vel ignorans impedimentum vel metu gravi, aliave iusta causa impeditus, reclamare intra quinquennium non potuerit; vel impedimentum sit essenziale, ac perpetuum,

R           perpetuum,

petuum, aut saltem ultra quinquennium duret, eo elapso potest reclamare, debetque audiri in iudicio, saltem extraordinario, vel in integrum restitutum, ut contra *Bon. de claus. d. 4. q. 2. p. 10.* docet *Nav. Sanch. d. 37. nu. 22.* *Less. lib. 2. cap. 41. d. 7.* *Azor. lib. 12. cap. 4. q. ult.* *Dian p. 3. t. 2. R. 53.* *Barbosa in Trident sess. 25. c. 19. num. 8.* ubi plures alios citat: & nisi aliud quid impediatur, fugere potest, ut docet *Laym.* Qui addit, quod si fuga sine gravi scandalo vel incommodo tentari non possit, monendum à confessario, ut professionem tacite ratificet: quod fiet, si professorum habitum proprium deferat actusque iis propriis exerceat, cum intentione, quod professus talis ordinis esse velit, *vid. Au. cit. & Dian p. 8. t. 7. R. 51.* ubi ex *Trid. sess. 25. cap. 19.* probat, Episcopum de nullitate professionis, sive interventione superioris regularis sententiam ferre non posse, & si faciat, fore nullam.

## DUBIUM III.

Ad quid teneatur Religiosus vi suae professionis?

Resp. Religiosus vi suae professionis tenetur ad progrediendum aliquo modo in via perfectionis. Qua ex vi professionis tenetur velle servare suum statum, qui est perfectionis, sive tendere ad perfectionem; (licet secundum se non sit praecepti, sed consilii) hoc autem est intrinsecè velle tendere ad perfectionem, *S. Thom. 2. 2. q. 187. a. 2. q. 1.*

2. q. 186. a. 1. & 2. q. 184. a. 5. Laym. l. 4. t. 5. c. 1. num. 1. Suar. de relig. tom. 4. l. 1. c. 4. Bardi. de consc. d. 7. c. 6. §. 5. Unde resolves.

I. Religiosus non tenetur esse perfectus, sed tantum studere perfectioni, Bardi. & c. l. c.

II. Tenetur tendere ad perfectionem, 1. Per media essentialia. 2. Per vota. 3. Per auxilia secundaria non contemnendo ea, Laym. l. c. c. 9. num. 13. 4. Tenetur aliquibus mediis uti, & si omnia media abjiciat, non est in statu salutis, Sua. Laym. l. c. dicens: si nullum perfectionis studium adhibeat, sed omnia monita & regulas negligat, eò quod sub mortali non obligent, peccare mortaliter. 5. Tenetur ad aliqua opera bona supererogatoria, siue specialiter non præcepta, nec promissa: quia alias moraliter loquendo, non potest habere debitam intentionem salutis, Suar. l. c.

III. Tenetur tendere ad perfectionem per media suæ religionis, (non per alia) hoc est servando suas regulas Sanch. l. 6. c. 5. num. 1. & 2. Hinc peccat 1. per contemptum regulæ, hoc est; si nolit subijci *ib. n. 6.* 2. si tantum velit servare, quæ sub mortali obligant, quia contemnit perfectionem. *ibid. n. 7. 3.* per actum directè contrarium hoc est, nolendo perfectionem: quod esse mortale docet Sanch. n. 10. Pellizor & Bardi. l. c.

IV. Si quis non tantum intendat non esse sollicitus in observatione regulæ, sed etiam nunquam servare, etiam si facile possit, est mortale, vel proxima dispositio ad illud, vixque potest fieri sine contemptu formali. Suar. l. c. n. 24.

V. Si ex remissione animi, & sine ullo justo titulo, per



per directam intentionem, velit aliquam regulam non servare, erit saltem levis contemptus, & peccatum veniale *Suar. l. c.*

VI. Frequenter, & ex consuetudine violare regulam, esse mortale; dicit *Sanch. l. 6. mor. c. 4. n. 18. & 20.* Tum quia perturbat religiosam disciplinam: tum quia secundum quosdam est contemptus interpretativus, vel saltem probabilissimum eius periculum: tenetur autem sub mortali ita vivere, ut non sit graviter perniciosus Religioni, inducendo alios malo exemplo ad regulam laxitatem. *Sanch. Laym. l. 4. s. 5. cap. 9.* tum quia constituit se in eo statu, ut tanquam incorrigibilis sit expellendus; tenetur autem quisque ratione votorum, quibus se Religioni addixit, ita se gerere, ut sit tolerabilis & non mereatur expelli: at qui nullum conatum perfectionis adhibendo, regulas sine discrimine transgreditur, reddit se intolerabilem, sicut debeat expelli, aut si toleretur plurimum nocet, ergo per accidens, & indirectè agit contra professionem, peccatque mortaliter. *Sanch. c. 4. num. 18, vid. Aut. cit.*

VII. Religiosus Societatis Jesu peccat mortaliter, si non adhibet diligentiam in cavendis defectibus, ob quos se dimitte dum, vel ejiciendum prævidet: & licet ita dimissus ob fraudem, vel peccata in eum finem commissa irrita est dimissio utpote obviata per dolum dantem ipsi causam; (sicut in matrimonio, & ceteris contractibus) unde subjacet poenis apostatarum, *Bon. de claus. q. 2. p. 2. §. 1.*

VIII. Scho-

VIII. Scholasticus societatis Jesu, qui, pravis moribus, de industria dimissionem extorsit, vel falsis allegationibus impetravit, non est liber à votis, *Less. l. 2. c. 4. o. d. 15. Sanch. l. 6. c. 9. n. 99. Laym. l. 5. t. 5. c. 9. n. 13.*

DUBIUM IV.

*Ad quid religiosus obligetur vi votorum?*

Resp. I. Religiosus ex voto paupertatis obligatur, ut nihil habeat proprium. Nomine proprii autem intelliguntur bona temporalia pretio aestimabilia, quorum dominium, vel certè facultatem disponendi liberam, & independentem, in perpetuum abdicavit, Constat *ex capite. Non dicitur, 12. q. 1. c. Monachi.*

Dicitur I. *Bona temporalia*: quia retinet religiosus dominium spiritualium, honoris, famæ, & simillium. Item jus eligendi, præsentandi, conferendi regulare beneficium, &c. *S. Thom. 2. 2. q. 186. a. 7. Sanch. l. 7. ca. 18. Less. l. 2. c. 4. d. 5. Laym. l. 4. t. 5. c. 7.*

Dicitur II. *Dominium vel facultatem disponendi*, propter religiosos Societatis Jesu, qui post emissà vota, retinent, & acquirere possunt dominium radicale bonorum temporalium, non tamè habent jus actuale, de iis pro suo arbitrio disponendi, vel utendi; in cujus abdicazione, essen-

R 3                      tia

tia religiosæ paupertatis consistit. *Sanch. Laym. l. c. n. 3.*

Dicitur III. *Independenter*: quia religiosus, etiam professus, potest habere peculium dependens, & revocabile ad nutum superioris, quod nomine proprii non comprehenditur, *Laym. c. 7. n. 12.* Unde sequentes Casus resolvantur.

I. Non repugnat voto paupertatis, quod Religiosi habeant bona in communi, etiam immobilia. Imo, sine consensu Papæ, non possunt se obligare communitati, quod ea nunquam sint acquisituri; quia præjudicarent immunitati Ecclesiasticæ, *Lugo Resp. mor. l. 3. d. 8.* Neque possunt fructus seu redditus à donatore destinatos ad eam, applicare ad usus alios, v. g. solvenda debita, &c. *vid. d. 10.*

II. Non repugnat paupertati, si religioso detur villa, vel alius locus administrandus nomine monasterii, idque in monasterii commodum. Imò nec repugnat, si detur in commodum, vel incommodum ipsiusmet religiosi, aliquod Ecclesiasticum Beneficium. Quo casu competit ei administratio reddituum, quos ad sui sustentationem, piasque causas applicare potest, juxta Canonum concessionem: quod reliquum est, pertinet ad Ecclesiam, vel Beneficium: cui servit: ac consequenter donationes de redditibus beneficii factæ ab eo in usus non pios, invalidæ sunt, & contra justitiam, neque accipientes possunt turba conscientia retinere. *S. ar. to. 4. de rel. l. 5. Molli. d. 276. G. c. communiter.* Ratio, quia non habent dominium dictorum reddituum. *Lugo de iust. to. 1. d. 4. s.*

d. 4. s. 1. Nihilominus *Wadin.* apud *Dian.* p. 8. t. 6.  
R. 133. probabile censet, quod etsi illicitæ; va-  
lidæ tamen sint istæ donationes: idemque multo  
magis de donationibus Episcoporum regula-  
rium censet cum eodem, *Dian. l. c. R. 132. & c.*  
contra *Sanch. Suar. & c.* Ad monasterium verò  
omnia alia, quæ aliunde, quam ex Beneficio ac-  
quiruntur, nisi ex consuetudinæ cedant Ecclesiæ,  
*Nav. Azor. to. 1. l. 12. c. 10. q. 6. & 7. Mol. Lay. l. c. v.*  
*Trid. sess. 25. c. 2. d. Regul.*

III. Non tantum jure antiquo, sed etiam post  
Tridentinum, probabile est, religioso in mona-  
sterio, vel juxta illud manenti, annuatim assignari  
posse redditum, ut ex eo vivat suo commode  
& incommodo, revocabiliter tamen ad nutum  
Prælati. Similiter monialibus victum præberi  
posse, ita ut ipse sibi labore manuum vestes com-  
parent. Ita contra *Azor. Less. & Mol.* docent  
*Sanch. l. 7. mor. c. 22. Tan. Laym. l. 4. c. 7.* Qui  
addit, talem consuetudinem, ubi viget, non dam-  
nandam: probat tamen tolli debere si commode  
possit, monetque, non sine urgentissima causa  
inducendam.

IV. Peccat contra paupertatem religiosus, si  
quid, seu domi seu foris, etiam ex iis, quæ ad  
victum & vestitum pertinent, sine superioris con-  
sensu expresso, tacito vel præsumpto, accipiat, re-  
tineat, absumat, permutet, alteri donet, vel ac-  
commodet. Ita *Less. l. 2. cap. 41. d. 8. & d. 9. nu.*  
*79. Sanch. 7. mor. c. 19. num. 53. & cap. 21. num. 31.*  
*Suar. tom. 3. de relig. l. 8. c. 11. Laym. l. 4. t. 5. cap. 7.*  
*Azor. to. 1. l. 12. c. 12.*

Dixi.

Dixi I. *sine consensu tacito*: quia si Prælati sciat, subditum aliquid accipere, retinere, vel expendere, & non prohibet, cum facile possit, tacite consentire, & approbare videtur. Unde *Sanch. 6. mor. cap. 9.* ait, si in aliqua religione consuetudo viget aliqua recipiendi, vel expendendi. sine licentia, id excusari per tacitam licentiam Prælati, qui id tolerando, consuetudinem rationabiliter declarat. Et si Prælati subdito donet, vel donari permittat imagines, rosaria, &c. sciens non indigere iis omnibus ad proprium usum, tacite facultatem concedere censetur donandi aliis, ut notat *Laym.* Monet tamen *Less.* talem consensum non præsumendum, nisi in rebus parvis & crebro occurrentibus.

Dixi II. *vel presumptio*: hic enim locum habet, cum res urget, superiorque non est præsens. Ad hanc autem, ut vult *Sanch. & Bonac.* non sufficit, quod superior libenter concederet, si peteres, ) alioqui omnes donationes à Prælati permitti solitæ, licerent sine venia, quod cederet in eversionem disciplinæ regularis) sed requiritur, ut ipse censeatur concedere, quamvis non petas, & nolit in iis circumstantiis repetere. Addit tamen *Suar. & Less.* excusari à mortali, si præsumatur affectus superioris libenter rem concessuri, si rogetur. Ratio, quia tunc censetur rem habere ex voluntate superioris, saltè virtuali, quæ in illo affectu latet; ideoque si superior tunc cum firmitate, quoad modum, venialiter quidem peccatis non tamen contra paupertatem docent *Suar. Sanch. Laym. l. 5. r. 5. c. 7.*

IV. Contra votum paupertatis peccas, si quid ex rebus in usum tuum concessis, in alium usum expendas, aut culpabiliter amittas; vel destruas lata culpa. Ratio, quia in iis tantum habes usum facti, idque precario, quamdiu superiori videbitur: estque actus dominii, posse rem arbitrato suo destruere. *Sanch., cap. 19. Laym. num. 6. Less. num. 79.*

V. Item peccas, si quid abscondas, ut illud liberae dispositioni superioris subducas. Nec Procuratores, Oeconomi, Administratores, Prælati inferiores, quicquam possunt expendere, contra quam regula ordinis, voluntas superiorum, vel consuetudo postulat. Ratio, quia non sunt domini bonorum communium, sed tantum administratores. *Laym. n. 9. ex S. Thom. & c.*

VI. Si prælatus permittat subdito, ut bona, ex quacunque causa, aut titulo proveniente, in usus vanos, turpes; aut illicitos expendat, aut superflua, pretiosa, & statum suum dedecentia, penes se habeat, peccat & Prælatus, & subditus contra votum paupertatis: estque talis donatio seu alienatio irrita, & restitutioni obnoxia. *Navar. Sylv. Valentia. Mol. t. 2. d. 276. Azor. Less. d. 9. Sanch. Laym.* Quia Prælatus non potest dare veniam maiorem, quam ipse habet: ipse autem cum sit dominus, non potest bona, suo arbitrato, & inutiliter expendere; sed tantum in Religionis necessitatem, & utilitatem, *v. G. Lugo de iust. d. 3. sect. 7. n. 131.*

Resp. II. Religiosus voto castitatis obligatur, ut abstineat se ab omni voluntaria delectatione

R 5 veneros

venerea, interna & externa, proindeque si quis contra castitatem peccet, duo peccata admittit, luxuria, & sacrilegii, *Less. & Laym. c. 8.*

Resp. III. Religiosus ex voto obedientia, obligatur ad omnia, quae superior praecipit, secundum regulas & constitutiones ordinis, sive directè & expressè, sive indirectè & implicitè. Et quidem si praecipiat in virtute S. Obedientia, in nomine Domini nostri Iesu Christi, vel simili forma, tenetur obedire sub mortali, quia intendit obligare, quantum potest, sub veniali autem, si alia forma uratur, vel sub nullo; quod consuetudo in Societate Iesu approbat. *v. S. Thom. 2. 2. q. 104. Sylv. Sanch. l. 6. mor. cap. 1. Less. l. 2. ca. 41. dub. 9. Laym. c. 9.*

Porrò quae indirectè pertinent ad regulam, *Sylv.* & quidam alii ampliant ad illa, quae faciunt ad plenioram eius observationem. *Sanchez* tamen arctat ad res valdè necessarias, sine quibus regula commodè servari nequit: alioqui enim superior quasvis corporis macerationes praecipere posset; ordinantur enim ad plenioram observationem regulæ. *Laym. l. 4. t. 5. c. 9. Less. l. 2. c. 1. d. 9.* Unde resolves.

I. Non tenetur subditus obedire in iis, quae sunt vel contra regulam (nisi superior in ea possit dispensare, & legitima causa dispensandi subsit) vel supra regulam, ut essent magnæ macerationes, (nisi in poenam, vel ad obligationem votorum necessaria,) vel ut acceptet Episcopatum. *Diaz p. 6. t. 8. R. 33. & alii sex*, vel infra regulam, scilicet vana (nisi praecipiat ex causa, quae sit secundum

secundum regulam, v. g. ut obedientia exerceatur. Nec refert, quod regulæ jubeant in omnibus obedire: id enim non de obligatione voti, sed obedientiæ perfectione intelligitur, Ita *Suar. Sanch. 6. mor. c. 2. Laym.*

II. Si regula ordinis sub peccato obliget, eius transgressio est contra votum, & sacrilega. Ratio, quia talis regula non est minus præceptiva, quam vox superioris: & subditus promittens observationem regulæ, eo modo quo ipsa intendit, se obligare censetur; proindeque Carthusianus, v. g. carnes edens, vel Franciscanus feria sexta non jejunans, & contra obedientiam, & contra temperantiam peccat, *Si Tho. in 1. d. 44. q. 2. a. 3. Valent. Sanch. 6. mor. c. 1. & 4. Vasq. Rodrig. Laym. l. c. n. 6. Esc. &c.*

III. Si regula sub peccato non obligat, transgressor illius non peccat contra votum obedientiæ. Ratio, quia talis regula non continet propriè præceptum, sed tantum est ordinatio seu monitum obligans tantum ad pœnam, si imponatur, *Si Thom. Lay l. c. &c.* Hinc nec transgressio illius ex tationabili causa; & bono fine, seu ex motivo virtutis facta, v. g. si extra tempora loquatur cum socio, ut mœstum consoletur, est peccatum; erit tamen veniale, si ex negligentia, torpore animi, aliove inordinato affectu fiat. *Lay. l. c.* Quem ut plurimum concurrere, adeoque raro omni culpa vacare, putat *Valent. Sanch. & Suar.* Qui addunt, quod si quis frequenter, & quasi per consuetudinem, regulam transgrediat, religiosam disciplinam graviter perturbat,

R. 6. caque



eaque ex causa in periculo expulsionis se constituat, peccat mortaliter, *Lay l. 5. t. 5. c. 9. Sanch. num. 18.*

IV. Et si Capitulares novum statutum condere possint quo ipsi, aliique postmodum professionem edaturi, obligentur; ante tamen professi, qui in illud non consenserunt, eo non obligantur, sed ad regulam ordinis non directè, nec indirectè spectet *Laym. loc. cit. num. 10.* Nisi tamen statutum fiat in Capitulo generali, vel saltem provinciali, (juxta cuiusque ordinis institutum) concurrente maiore parte suffragiorum; non sit regulæ difforme, *vid. Escob. de leg. E. 1. cap. 2. n. 15.* Ratio, quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, juxta *reg. 39. in 6* addit *Laym. & Sanch. ex Sylv. & Azor tom. 1. lib. 13. c. 1. q. 19. Less. lib. 2. c. 41. n. 22.* nec Pontificem posse religiosos cogere ad arctiorem vivendi rationem, quam instituti prima forma postulat. Quia obligatio obedientiæ, etiam Pontifici, provenit ex voto, quod factum fuit secundum propriam regulam institutum. Si tamen regulæ reformatio necessarium medium esset ad ordinis conservationem, ad eum Prælati cum Capitulo, multoque magis Pontifex, illos cogere optest, quando ad hoc se implicite quisque obligasse censetur, *Sylv. Less. Sanch. Laym. l. cc.*

V. Et si consuetum non sit, nec consultum, ut Prælati sub peccato præcipiant actus internos; probabile tamen est fieri posse ut docet *Laym. Suar. & c.* Ratio, quia verisimile est, quod aliqui religio-

religiosi ad id se obligare intendant, cum se quasi holocaustum Deo tradant.

*Quæres.* An subditus teneatur obedire, si dubitet, utrum sit res licita, quam Prælati jubet, vel iusta causa imperandi?

*Resp. I.* Communiter teneri, quia tunc melior est conditio superioris, qui est in possessione potestatis præcipiendi: in dubio autem nemo spoliandus est jure, quod habet. Nec dicas, subditum etiam esse in possessione libertatis, cum habeat debitum parendi.

*Resp. II.* Non teneri, si grave damnum obediendo timeat. Ratio, quia in dubio favendum est reo, eique de cuius damno agitur. Etsi enim subditus non sit in possessione libertatis, est tamen in possessione juris, quo potest se à periculosis rebus conservare, *Less. Sanch. 6. mor. cap. 4. aliique.*

## DUBIUM V.

*Qui possint, vel teneantur ingredi religionem?*

*Resp. I.* Omnes illi, & soli, possunt ingredi religionem, qui sunt sui juris, nec aliis obstricti: qui verò aliis obstricti sunt, non possunt sine eorum consensu. *Less. lib. 2. cap. 41. dist. 3.*

Unde 1. Non possunt ingredi religionem impuberes, quia subsunt parentibus, vel tutoribus, quoad vitæ dispositionem. 2. Nec filii, si parentes sine illis se alere nequeant. *Laym. l. 4. i. 5.*

35. c. 4. num. 1. 3. Nec servi, sine consensu dominorum, 4. Nec qui decipit virginem, sub promissione matrimonii. 5. Nec is, qui non est solvendo creditoribus; modo in seculo manendo, possit intra paucos annos solvere. *D. Thom.* tamen *Sylv. Fumus v. Religio*, & alii, putant, illum posse bona presentia cedere creditoribus; quia persona hominis liberi non est pro pecunia obligata. 6. Nec Episcopus, sine consensu Papae, cui iuramento se obstrinxit: praterquam quod sit obstrictus suae Ecclesiae, sicut maritus uxori. Nec conjuges post matrimonium consummatum, nisi vir per vim consummasset, ante expletos 2. menses, qui eis à jure conceduntur; aut nisi alter conjugum commisisset adulterium: tunc enim innocens ingredi possit.

Resp. II. Qui vovit religionem, tenetur ingredi secundum sequentes regulas.

I. Non tenetur, imò nec potest licitè ingredi ordinem, in quo collapsa est disciplina regularis, idque ob periculum perversionis, *Laym. l. 4. t. 5. c. 6. n. 5.*

II. Qui vovit laxiorem, licitè ingreditur strictiorem, non tamen contra; quia minus praestaret, quàm promisit. Quod si tamen profiteatur in laxiore, valida est professio, & liberatur à voto strictiorem ingrediendi. Ratio, quia votum solemne, quo fit personae traditio, & religioni jus in personam acquiritur, derogat priori voto simplici, per quod nullum tale jus religioni strictiori erat acquisitum, *Laym. l. c. ex Sancto Thom. q. 6.*

III. Is

III. Is qui vovit experiri religionem strictiorem, potest id commutare in votum profitendi, & perseverandi in laxiore. Ratio, quia hoc melius est, *Laym. l. c. ex Sanch. & c.*

IV. Professo licentiam transeundi ad ordinem laxiorem, Episcopus vel Prælati ordinis exemptus, eum consensu Capituli, dispensativè ex justa causa dare potest. *Laym. l. c. Less. l. 2. c. 41. n. 103. Sanch. 6. mer. c. 7.*

V. Professus, ad ordinem strictiorem, petita licet non concessa, Prælati sui licentia, ex justa causa transire potest. Quod addo, quia huiusmodi transitus sine causa, temere fieri non debet. Quod si autem fiat, spectanda est austeritas circa silentium & solitudinem; idque non tantum secundum institutum regulæ, sed etiam secundum observationem præsentem. Probatur *ex c. Licet, de regularibus v. Laym. Sanch. l. c. c.* Ex dictis resolvuntur hi Casus.

I. Canonici regulares ad Monachos transire possunt, non contra, cum religio Monachorum austerior sit. *Laym. l. c.*

II. Professus regulam strictiorem, si ea non servetur in suo monasterio, aliove eiusdem ordinis, nec sit spes reformationis, potest transire ad laxiorem, in quo regula servetur: ita ut considerato præsentis statu ducat vitam strictiorem.

*Laym. l. 4. tr. 5. c. 6. nu. 10. Sanch.*

*Rodr. & c.*

DUBI

## DUBIUM VI.

*Ad quid teneantur religiosi eiekti & fugiivi?*

Suppono, religiosum justas ob causas religione expelli posse. 1. Si in gravi vel pernicioso crimine existens, notoriè incorrigibilis appareat: in quo tamen casu, moniales perpetuo potius carceri mancipandas, quam ejiciendas, putat *Sanch. l. 6. mor. cap. 9.* 2. Si ob criminis infamiam, sine gravi ordinis damno, tolerari nequeat, 3. Si in admissione reticuerit impedimentum, vel essentialiale, vel saltem admodum grave, v.g. lepram, &c. ut docet *Nau. Sa. V. Religio. num. 34. Sanch. 6. mor. cap. 4. n. 56.* Ratio, quia in re admodum gravi decepti, ita ut fraus dederit causam admissioni, v. *Dia. p. 9. t. 9. R. 57.* ubi docet, quod licet hactenus ex communi sententia *Sanch. Suar. Azor. Rodrig. &c.* Religiosi propter delictum aliquod grave, etiam semel perpetratum poterint expelli, jam tamen propter declinationem *Vrbani VIII.* editam anno 1624. per nulla privilegia possint expelli e Religione, (excepta Societate Iesu) nisi sint incorrigibiles; tales autem non censeantur, nisi unius anni jeunio & penitentia in carcere sunt probati.

Hoc supposito, Resp. I Professus è religione ob culpam eiektus, manet religiosus, votisque adstrictus, *Laym. l. 4. t. 5. C. 13. ex communi.* Undere-solvuntur hi Casus,

I. Eiektus,

I. Eiectus, rerum, quas acquirit, usum & administrationem tantum sibi vendicare potest, non autem dominium neque illud acquiritur monasterio, cuius non est membrum amplius, sed Ecclesiae, in qua Beneficium habet, vel Papae, si beneficium non habet, & exemptus est. Quod si autem non sit exemptus Episcopo loci, *Lay. l. c. ex Mol. & Less.*

Dixi, *eiectus*, quia fugitivos & apostatas, iis exceptis, quae ex Beneficio Ecclesiastico accepta sunt, monasterio acquirere verius est, si illud domini in communi capax sit, sin minus, Sedi Apostolicae. Ratio, quia monasterium, instar servorum, eos vendicare & reducere poterat, *Laym. l. c. ex Azor. Sylv. & c.*

II. Eiectus per culpam, non omnino solutus voto obedientiae, etsi eius executio magna ex parte cesset: quia caret superiore, à quo dirigatur. Debet tamen illud servare in praeparatione animi, si recipiatur, *Laym. l. c. ex Nav. Less.*

III. Idem à reliquis monasticis observantiis, & regulis ut à jeuniis, vigiliis, delectu ciborum, & similibus liber est, *Laym. l. 4. t. 5. c. 12. Sa. n. 40. Navar. & alii: contra Less. Sanch. & c.* Ratio est, quia talium observatio non comitatur simpliciter professionem votorum substantialium, sed statum regularem, à quo ille est expulsus.

IV. Etsi non sit improbable, quod docent *Nav. & Azor.* probatque *Rodriguez*, eiectum tuto manere extra suum ordinem, nec teneri receptionem petere, eò quod iustae sententiae suae eiectiois se conformare possit: contrarium tamen communius est, & probabilius. Ratio, quia cum  
fit

fit obligatus votis, tenetur se qualificare, ut vota sua convenienter professioni exequi possit. *Quæ ratio magis probat, si ordo ipsum revoget. Laym. l. c. n. 6. ex Sylv. Sanch. & Less.*

V. Ejectus potest tunc in ~~saeculo~~ manere, si in monasterio non recipiatur, nisi religionem laxiorem inire malit: quia aliam non vovit; neque per ipsum ( ut suppono ) jam stat, quo minus in sua recipiatur. Ita *Rodrig. Laym. &c. l. c.* Ubi addit, Prælatos posse aliquem sub conditione ejicere, ut vel aliam religionem intret, vel ad suam revertatur: imò etiam Ordinarii locorum ejectos ad hoc cogere possunt. Ratio est, quod tales non sine periculo, & scandalo aliorum in seculo vivant. *v. Laym. loc. cit. n. 8. & 9.*

Resp. II. Prælati ordinarum fugitivos, & apostatas requirere tenentur, si absque gravi ordinis damno possint, & non omnino incorrigibiles videantur. Ita *Sanch. l. c.* Ratio prioris partis est, quia jure divino & naturali tenentur Prælati prospicere eorum saluti. Ratio posterioris est, quia si ob justam causam possint ejici, ob eandem etiam, postquam malitiosè exiverunt, poterunt non recipi. *Laym. l. c. n. 7. ex Sanch. &c.*

Dixi, *fugitivos & apostatas*: quia per sententiam justam ejectos, etsi se correxerint, necessario recipiendos, negant *Sanch. l. c. & Azor lib. 12. c. 17.* affirmant *Nav. Mol. t. 1. d. 140. Less. l. b. 2. c. 41. d. 15.* Utrique probabliter.

*Quæres.* An professus in uno monasterio possit cogi, ut se transferat ad aliud?

*Resp.* Possit, si plura monasteria faciunt unum corpus

corpus sub uno capite; secus, si singula subsint suis superioribus sub Episcopo, vel immediatè sub Papa. Ratio, quia non vovit obedientiam, nisi in hoc conventu, *Laym. l. c. num. 10.* Vide etiam *Sanch. l. 7. mor. c. 32.*

CAP. II.

De Statu Clericorum.

Clerici generaliter dicuntur illi, qui sacris ordinibus vel prima saltem tonsura, sunt initiati. Ad quorum statum cum multa pertineant, de quibus alibi agendum, hic agemus de Beneficiis Ecclesiasticis, Horis Canonicis & aliis paucis.

DUBIUM I.

De Beneficiis Ecclesiasticis.

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex Beneficium Ecclesiasticum?

Resp. I. Beneficium Ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, propter officium aliquod spirituale, autoritate Ecclesiæ constitutum. Ita *Laym. l. 4. t. 2. c. 1. Less. l. 2. c. 35. d. 1.*

Dicitur I. *ius perpetuum*, ad excludendam Vicariam, & Commendam temporalem; quæ non sunt